

unusquisq; Antagonistarum. Vuitebergam cum redisset Lutherus (incidit autem reuersio eius in septimum Martij diem) concionibus habitis grauissimis, facultate & vi dicendi, & virtute atq; fortitudine autoritatem sibi conciliantibus admirandam, conquieuerunt pleraq; & paulatim turba ista sopita sunt, discedentibus autoribus, & poenas sibi & alijs attrahentibus, de quibus dicere, huius loci & temporis non est: Nam de ijs, quae turbas excitatas secuta sunt, hoc est, de rusticorum seditione & interitu, & de Anabaptistarum furijs & poenis, ut dicatur, peculiarem recitationi huic uni destinatae operam requiri manifestum est. Et potest hoc à nobis fieri alias, cum praesertim nonnulla nondum ab alijs commemorata, proferri possint. Pergit autem Lutherus strenue & contra spiritus istos seditiosos & nefarios pugnando, & contra hostes reliquos, qui quotidie adoriebantur eum calumnijs, & minis, in aciem eundo, & domi docendo in officio concionum & lectionum, vertendis biblijs, progressu doctrinae fidei & salutis, sine impedimento, diuino prorsus successu, & autoritate non humanitus, sed coelitus data. Et profecto quod ad Bibliorum versionem attinet, superat illa omnium commentariorum excellentiam, & inimicos habet nullos nisi eos, qui claram Verbi Dei lucem & perspicuitatem, & dexteritatem eloquendi magna Dei mysteria oderunt. Et verum hoc esse, testatur collatio cum alijs versionibus qualibuscung;